LOGICÆ.

RVDIMENTA,

Auctore

IVL. PACIO

à Beriga.

Secunda Editio.

G. W.



LONDINI,

Apud Gulielmum Stansby.

1612.



LOGICÆ RVDIMENTA.

IVL. PACIO Auctore.

CAP. I.

De Logica.

I. TRES sunt intellectus nostri operationes: simplex intelligentia, compositio vel diuisio, & ratiocinatio. Simplex intelligentia dicitur, cùm rem aliquam solam & per se, non cum alia coniunctam, mente concipimus. Vt Lunam vel terram. Compositio appellatur, cùm aliquam rem alteri adiungimus, & attribuimus: vt cùm intelligimus Lunam deficere, vel terram Lunæ opponi. Diuisio nominatur, cùm rem à re separatam intelligimus, quasi ei non attribuatur: vt cùm intelligimus Lunam non deficere, vel terram Lunæ non opponi. Ratiocinatio vocatur, cùm

aliquid per aliud probamus, vt Lunam defi-
cere, quia terra ei opponitur.

2. ¶ Quoniam igitur Logica est ars ra-
tionalis, id est, dirigens operationes nostri
intellectus, vt veræ sint, & omni vitio ca-
reant, idcirco tres sunt Logicæ partes, tribus
illis intellectus operationibus proportione
respondentes. Prima pars est de dictionibus,
3 secunda de enunciationibus, quæ ex dictio-
nibus conficiuntur: tertia de syllogismis, qui
ex enunciationibus extruuntur.

CAP. II.

De dictione, & syncategore-mate.

5 DIctio est vox significans rem ali-
quam ex instituto: cuius vocis
nulla pars seorsum accepta, ali-
quid significat. Vt hæc vox *homo* est dictio:
quia rem quandam significat ex instituto,
& nulla eius pars separatim aliquid signi-
ficat. Etenim syllaba *ho*, per se nihil signifi-
cat, item syllaba *mo*, per se nihil significat.
Ex instituto esse dicitur, quod non est à na-
tura, sed hominum arbitrio constitutum,
vt hæc vox *homo* constituta est a Latinis,
quemadmodum ἄνθρωπος a Græcis.

Omnis

2. ¶ Omnis dictio aut est nomen, aut verbum. Nomen est dictio, quæ rem ita significat, vt non declaret, quando ea res sit: vt cursus. Verbum est dictio, quæ non solùm rem significat, sed etiam declarat, quando res sit, vt currere, significat cursum nunc esse, cucurrisse, significat cursum fuisse.

Nomen & Verbum.

3. ¶ Si nomini præponatur negandi aduerbium, fiet nomen infinitum, vt *non homo*. Dicitur autem nomen infinitum, quia non certam rem significat, sed multas, atque adeo numero infinitas: vt *non homo* significat quidquis aliud præter hominem. Similiter si verbo idem negandi aduerbium præponatur, infinitum verbum eadem actione fit, vt *non-currit*.

4. ¶ Quod si nomen per casus inflectatur, non dicetur amplius nomen propriè, sed casus nominis, vt *hominis homini hominem hominum, homines*. Etenim nomen propriè dicitur illud solum quod ratum est, vt *homo*, & *homines*.

Pari ratione si verbum per tempora ac modos inflectatur, fit casus verbi: vt *currebam, currat, cucurrisset*: quoniam

illud solum propriè dicitur verbum, quod est temporis præsentis in modo indicativo, cuiuscunque sit personæ vel numeri: vt *curro, curris, currit, currimus, curritis, currunt.*

5. ¶ **Verbum**, *sum, es, est*, quo duæ dictiones coniunguntur, (vt in hac oratione, *homo est iustus*, verbum, *Est*, coniungit iustum cum homine) non est propriè verbum, quia nullam rem significat: sed quia connectendi & copulandi vim habet, copula verbalis appellatur. Cum autem alicui nomini solum adiungitur, veluti *Deus est*, tunc quia rem aliquam in rerum natura siue in entium numero esse significat, proprie verbum vocatur.

6. ¶ **Pronomina** nominibus accensentur. Participia verbis adnumerantur: quia non solùm significant rem aliquam, sed etiam indicant, quando ea res fit: nempe vel tempore præterito, vt *factus, complexus*: vel præsenti, vt *faciens, complectens*: vel in futuro, vt *facturus, complexurus.*

7. ¶ **Præterhæc**, reliquæ voces, quæ à Grammaticis inter partes orationis connumerantur, vt præpositio, aduerbium, interiectio, & coniunctio, non sunt dictiones, sed à Logicis appellantur syncatagoremata. Differt autem syncatagorema à dictione: quia dictio est vox significans, syncatagorema verò, non significat per se, sed

aut

aut nomini aut verbo adiungitur, & simul cum re significare dicitur, vt in hac oratione, *Lepus celeriter currit*, aduerbium illud, *celeriter*, inseruit verbo *currit*; quia declarat quomodo lepus currat.

CAP. III.

De Enunciatione.

1. EX nominibus & verbis componuntur enunciationes, vt *homo currit*. sæpè etiam accedunt syncategoremata, vt *homo bene currit*.

2. ¶ Enunciatio est oratio vera vel falsa. Vera est, vt *homo est animal*. *homo non est lapis*. Falsa est, vt *homo est lapis*, *homo non est animal*. 2o. Enunciatio quid.

3. ¶ Enunciationi duo accidunt: nempe modus, & hypothesis. Modus est, qui declarat quomodo aliquid sit, vel non sit: vt *necesse est*, *contingit*. Hypothesis appellatione significatur coniunctio continuatiua, *Si*, & coniunctio disiunctiua, *aut*, *vel*: enunciatio, quæ vtroque accidente caret, pura appellatur: vt *homo est Iustus*, *homo non est Iustus*. Quæ modum habet, modificata vocatur: vt, *contingit hominem currere*, *necesse est hominem esse animal*. Vtraque Categoricæ ap- 3o.

pellatione continetur. Quæ hypothesin habet, nominatur hypothetica, vt, *si sol est super terram, dies est: Aut est dies aut nox.* Quæ vtroque accidente prædita est, hypothetica modificata nuncupatur vt, *si Sol est super terram, necesse est diem esse.*

CAP. IV.

De Enunciatione pura.

1. ENunciatio pura duabus partibus constat, subiecto & attributo. Subiectum est, quod in enunciatione subiicitur: attributum est, quod in enunciatione attribuitur. Vt in hac enunciatione, *homo est iustus*, *homo* est subiectum, quia subiicitur iusto: & *iustus*, est attributum, quoniam attribuitur homini.

2. ¶ A subiecto sumitur enunciationis diuisio in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis enunciatio est quæ habet subiectum vniuersale cum nota vniuersali, vt *Omnis homo est iustus*, *Nullus homo est iustus.* Notæ enim vniuersales dicuntur *Omnis*, *Nullus*, & aliæ similes. Particularis enunciatio est quæ constat ex

sub-

subiecto vniuersali cum nota particulari, vt, *Quidam homo est iustus*, *Non omnis homo est iustus*. Notæ particulares sunt hæ, *Quidam*, *Aliquis*, & *non omnis*. Indefinita enunciatio est, quæ caret omni nota, tam vniuersali: quàm particulari, vt *Homo est iustus*, *homo nõ est iustus*. Singularis enunciatio est, quæ habet subiectum singulare, vt *Socrates est iustus*, *Socrates non est iustus*, Nam Socrates est res singularis: sicut homo est res vniuersalis: quoniam Socrates dicitur de vno quodam homine: homo autem dicitur de Socrate, Platone, Aristotele, & aliis multis, id est vnus est, significatur nomine *Socrates*: Permulti verò sunt, qui vocantur homines. 81

3. ¶ Ab attributo sumitur enunciationis diuisio in affirmationem & negationem. Affirmatio est enunciatio, quæ coniungit attributum cum subiecto, vt. *homo est iustus*. Negatio est enunciatio, quæ seiungit attributum à subiecto, *vt homo non est iustus*. &

4. ¶ Affirmationes & negationes eiusdem attributi de eodem subiecto multis modis inter se opponuntur: partim enim vocantur contrariæ, partim subcontrariæ, quædam contradicentes, aliæ subalternæ. Contrariæ vocantur affirmatio & negatio vniuersalis, vt *Omnis homo est iustus*, *Nullus homo est iustus*. Subcontrariæ, affirmatio & negatio particulares, vt, *Aliquis homo est iustus*, *Aliquis homo non est iustus*. Sub- 84

alternæ appellantur vniuersalis & particularis, quarum vtraque affirmatur, vt *omnis homo est iustus*, *aliquis homo est iustus*, vel vtraq; negatur, vt, *nullus homo est iustus*, *aliquis homo non est iustus*. Contradictionum tria sunt genera, in quibus omnibus generibus, altera est affirmatio, altera negatio. Primum genus est, cuius altera est vniuersalis, altera particularis, vt, *Omnis homo est iustus*, *non omnis homo est iustus*: item, *Nullus homo est iustus*, *aliquis homo est iustus*. Secundum genus est, cum ambæ sunt indefinitæ: vt, *homo est iustus*, *homo non est iustus*. Tertium genus est, cùm vtraque est singularis: vt, *Socrates est iustus*, *Socrates non est iustus*.

5. ¶ Regulæ harum oppositionum sunt. I. Contrariæ non possunt esse simul veræ, sed vel ambæ falsæ, vt, *Omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*: vel affirmatio vera, negatio falsa, vt, *Omnis homo est animal*, *non omnis homo est animal*: vel affirmatio falsa, negatio vera, vt, *Omnis homo est lapis*, *aliquis homo non est lapis*. II. Subcontrariæ non possunt esse simul falsæ: sed sunt simul veræ, vt *Quidam homo est albus*, *quidam homo non est albus*, vel affirmatio vera est, negatio falsa, vt, *quidam homo est animal*, *quidam homo non est animal*: vel affirmatio est falsa, negatio vera, vt *Quidam homo est lapis*, *quidam homo non est lapis*. III. Subalternæ aut sunt simul veræ, aut

simul

simul falsæ. Nam si vera est vniuersalis, vera est etiam particularis: vt, *Omnis homo est animal*, *Aliquis homo est animal*: *Nullus homo est lapis*, *Aliquis homo non est lapis*: sed si falsa est particularis, falsa est etiam vniuersalis: vt, *Aliquis homo est lapis*, *Omnis homo est lapis*, rursus, *Aliquis homo non est animal*, *Nullus homo est animal*. IV. Contradicentium, quarum altera est vniuersalis, altera particularis, semper altera est vera, altera falsa: vt, *Omnis homo est animal*, *Non omnis homo est animal*. item, *Nullus homo est lapis*, *Aliquis homo est lapis*. V. Contradicentium singularium similiter altera est vera, altera falsa: vt, *Socrates est iustus*, *Socrates non est iustus*: VI. Contradicentium indefinitarum eadem est regula, quæ subcontrariarum: non possunt enim esse ambæ simul falsæ: sed aut ambæ veræ, vt *Homo est albus*, *homo non est albus*: aut altera vera, altera falsa, vt, *Homo est animal*, *Homo non est animal*: item, *Homo est lapis*, *Homo non est lapis*.

6. ¶ Est & altera enunciationis diuisio quæ ab attributo sumitur. alia namque est enunciatio secundi adiacentis, alia tertii adiacentis. Enunciatio secundi adiacentis dicitur ea, cuius attributum est tantùm verbum: vt, *Homo est*, *homo curit*: Enunciatio verò tertii adiacentis ea dicitur, cuius attributum, quod est nomen, vel participium, cum subiecto connectitur per copulam ver-

balem, vt, *Homo est iustus*, *Homo est currens*. Nam in eiusmodi enunciatione illud, *Est*, appellatur tertium adiacens: quoniam additur duobus terminis, homini & iusto, id est, subiecto & attributo. Notandum est non ideo dici secundum vel tertium adiacens, quia secundo vel tertio loco ponatur. quandoquidem tam in illa enunciatione, *Homo est*, quàm in hac, *Homo est albus*, illud, *Est*, quod dicitur adiacere, secundo loco collocatur: cùm tamen hæc vocetur enunciatio tertii adiacentis: illa, secundi adiacentis. Quocirca non dicitur secundum vel tertium adiacens ratione loci: sed secundum adiacens appellatur, quia est secunda pars enunciationis. id est, attributum, quod adiacet & adiungitur subiecto, Vt in hac enunciatione, *Homo currit*, *Homo* est prima pars: *currit*, est secunda, quæ adiacet primæ. Tertium verò adiacens, nuncupatur, quia est tertium quiddam præter subiectum & attributum: quanquam magis adhæreat attributo, quàm subiecto, vt in hac enunciatione, *Homo est iustus*, illud, *Est*, nominatur tertium adiacens, quia est quid diuersum ab homine & iusto.

7. ¶ Alia est enunciationis diuisio, quæ partim à subiecto, partim ab attributo accipitur: cum dicimus aliam esse enunciationem finitam, aliam infinitam,

aliam

aliam mixtam. Enunciatio finita est, quæ constat ex subiecto & attributo finitis: vt, *Homo est iustus, Homo non est iustus.* Infinita est, quæ habet subiectum & attributum infinita: vt, *Non-homo est non-iustus. Non homo non est nō-iustus.* Mixta est quæ constat ex subiecto finito & attributo infinito: vt *Homo est non-iustus, Homo non est non-iustus.* Vel contrà ex subiecto infinito & attributo finito: vt, *Non-homo est iustus, Non homo non est iustus.*

CAP. V.

De *Enunciatione hypothetica.*

I. QVoniam duplex hypothesis à Logicis considerari solet, quarum altera, nempe *Si*, conditionem facit: altera, nimirum *Aut*, seu *vel*, disiunctionem efficit: hinc duo enunciationum hypotheticarum genera oriuntur; id est, enunciatio conditionalis, quæ etiam coniunctiua appellatur, & enunciatio disiunctiua. Conditionalis est, veluti, *si diligenter studebis, eruditus eris.* Disiunctiua est veluti, *Aut temperanter viuendum, aut cito moriendum est.*

2. ¶ Hę enunciationes duabus partibus constant, priore, & posteriore, quæ per hypothesin nectuntur: itaque cùm nexus ille modò affirmatur, modò negatur, Contradictio est: veluti *Si benignus eris, multos amicos habebis: Non si benignus eris, ideirco multos amicos habebis.* Item, *Aut est laborandum, aut esuriendum: Non est aut laborandum, aut esuriendum.*

CAP. VI.

De Enunciatione modificata.

1. MOdi, à quibus enunciationes modificatæ dicuntur, plures sunt: sed quatuor sunt præcipui à nobis considerandi, *Necesse, possibile, contingens*, & *impossibile*.

2. ¶ Hinc fiunt quatuor enunciationum modificatarum genera, duabus partibus constantia, quarum altera vocatur *Dictum*, altera *Modus*, vt in hac enunciatione, *Necesse est hominem esse rationalem*, duæ partes spectantur: id est, modus, *Necesse est*, & Dictum, *hominem esse rationalem*, & quidem hoc modo, vt necessario sit rationalis, quoniam

hac oratione dicimus hominem esse rationalem.

3. ¶ In his enunciationibus Dictum habet rationem subiecti, Modus rationem attributi. Nec refert, vtrum dictum pronuncietur ante modum, veluti, *hominem esse rationalem necesse est*: an modus ante dictum, veluti, *Necesse est hominem esse rationalem*.

4. ¶ Vt igitur enunciationes modificatæ sibi inuicem contradicant, oportet dictum omnino idem esse: Modum autem re tantùm differre, quòd in altera sit affirmatus, in altera negatus: veluti, *Necesse est hominem currere, Non necesse est hominem currere.* Item, *Necesse est hominem esse animal. Non necesse est hominem esse animal.* Item, *Necesse est hominem non currere, Non necesse est hominem non currere.*

5. ¶ Hæ modificatæ enunciationes distribuuntur in quatuor classes: ita vt in qualibet classe sint quatuor enunciationes, hunc in modum.

Primus ordo.

1. Necesse est esse.
2. Non possibile est non esse.
3. Non contingit non esse.
4. Impossibile est non esse.

Secun-

Secundus ordo:

1. Necesse est non esse.
2. Non possibile est esse.
3. Non contingit esse.
4. Impossibile est esse.

Tertius ordo.

1. Non necesse est esse.
2. Possibile est non esse.
3. Contingit non esse.
4. Non impossibile est non esse.

Quartus ordo.

1. Non necesse est non esse.
2. Possibile est esse.
3. Contingit esse.
4. Non impossibile est non esse.

Hæ classes ita sunt constitutæ, vt enunciationes æquiualentes in vna & eadem classe contineantur: Contradicentes autem è regione positæ sint. Nam enunciationes tertiæ classis, enunciationibus primæ classis: & enunciationes quartæ classis, enunciationibus secundæ classis contradicunt. Exempli causa: Hæ enunciationes idem valent, *Necesse est esse*, *Non contingit non esse*, quia vtraque est in prima classe: hæ verò sibi inuicem contradicunt, *Necesse est esse*, *Non necesse est esse*, quia scriptæ sunt è regione.

6. ¶ Cùm modus ennnciationi hy-

potheticæ adiungitur, veluti, *Si est honeste viuendum, Necesse est obtemperare legibus.* Item, *Necesse est aut diem esse aut noctem.*

Similiter negatio modo adiuncta contradictionem facit: veluti, *Non est necesse, si honeste sit viuendum, obtemperare legibus: Non necesse est aut diem esse aut noctem.*

CAP. VII.

De Syllogismo.

I. QVemadmodum ex nomine & verbo enunciatio, ita ex enunciationibus syllogismus componitur. Syllogismus enim est oratio constans ex duabus enunciationibus sic affectis, vt ex iis tertia enunciatio colligatur: veluti. 95

Omne animal est viuens:
Omnis homo est animal: Ergo
Omnis homo est viuens.

Illæ duæ priores enunciationes vocantur propositiones. Et prima quidem appellatur maior propositio, altera dicitur minor propositio: tertia verò nominatur conclusio.

Harum

2. ¶ Harum propositionum vel conclusionis partes, id est, subiectum & attributum, vocantur termini, vt in dicto syllogismo tres sunt termini, viuens, animal & homo.

3. ¶ Sicut igitur enunciatio vel est categorica vel hypothetica. id est, vel hypothesi caret, vel hypothesin habet: ita etiam syllogismus, vel est categoricus, vel hypotheticus.

CAP. IIX.

De syllogismo categorico.

I. SYllogismus categoricus est, cuius propositiones sunt categoricæ, & conclusio quoque categorica: cuiusmodi est syllogismus ille supra propositus,

Omne animal est viuens:
Omnis homo est animal: Ergo
Omnis homo est viuens.

2. ¶ In his syllogismis sunt tres termini: vt in dicto exemplo, viuens, animal, & homo. Duo namque sunt termini in conclusione probanda: quorum alter subiicitur qui appellatur minus extremum: alter attribuitur, qui vocatur maius extremum, vt

in exem-

in exemplo supra allato, conclusio erat, *Omnis homo est viuens.* Itaque *homo*, est maius extremum, quia subiicitur viuenti: & *viuens*, minus extremum, quia attribuitur homini. Assumitur autem tertius terminus, qui appellatur medius: vt in dicto exemplo assumitur animal: hic terminus coniunctus cum maiori extremo, facit maiorem propositionem: cum minore extremo, minorem propositionem.

3. ¶ Tres sunt horum syllogismorum figuræ. Prima est, cùm medius terminus maiori extremo subiicitur, in maiore propositione: vt supra in scripto exemplo,

Omnis animal est viuens:
Omnis homo est animal: Ergo,
Omnis homo est viuens.

Secunda est, cùm medius terminus vtrique extremo attribuitur id est, maiori extremo, & in maiori propositione, & minori in minore veluti,

Nullus lapis est animal:
Omnis homo est animal: Ergo
Nullus homo est lapis.

Hic enim *lapis* est maius extremum: *homo* minus extremum: *animal* medius terminus. Tertia figura est, cùm medius terminus subiicitur vtrique extremo, id est, maiori extremo in maiore propositione, minori in minore: veluti,

Omnis

Omnis homo est animal.
Omnis homo est viuens: Ergo
Aliquod viuens est animal.

In hoc enim syllogismo, *animal* est maius extremum: *viuens*, minus extremum: *homo* medius terminus.

4. ¶ In qualibet figura continentur vtrii modi, qui inter se distinguuntur pro diuersitate propositionum & conclusionum. Logici his modis impoſuerunt certa nomina trisyllaba: quorum prima syllaba significat maiorem propositionem, secunda minorem, tertia conclusionem. In vnaquaque autem syllaba notandæ sunt vocales, *a*, *e*, *i*, *o*. Nam *A*, significat propositionem, vel conclusionem vniuersalem affirmantem. *E*, vniuersalem negantem *I*, particularem affirmantem *O*, particularem negantem.

5. ¶ In prima figura sunt quatuor modi, *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, quorum exempla subiiciamus.

I.

Bar *Omnis animal est viuens.*
ba *Omnis homo est animal:* Ergo
ra *Omnis homo est viuens.*

II.

Ce *Nullum animal est lapis:*
la *Omnis homo est animal:* Ergo
rent *Nullus homo est lapis.*

III.

Da *Omnis homo eſt animal.*
ri *Aliquod album eſt homo.* Ergo
i *Aliquod album eſt animal.*

IV.

Fe *Nullum animal eſt lapis:*
ri *Aliquod album eſt animal:* Ergo
o *Aliquod album non eſt lapis.*

6. ¶ In ſecunda figura ſunt quatuor modi. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco:* quorum exempla ſequuntur.

I.

Ceſ *Nullus lapis eſt animal:*
a *Omnis homo eſt animal:* Ergo
re *Nullus homo eſt lapis.*

II.

Cam *Omnis homo eſt animal:*
eſ *Nullus lapis eſt animal.* Ergo
tres *Nullus lapis eſt homo.*

III.

Feſ *Nullus lapis eſt animal:*
ti *Aliquod album eſt animal:* Ergo
no *Aliquod album non eſt lapis.*

IV.

Bar *Omnis homo eſt animal:*
oc *Aliquod album non eſt animal:* Ergo
o *Aliquod album non eſt homo.*

7. ¶ In tertia figura ſunt ſex modi

Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison, quorum exempla hæc sunt.

I.

Da *Omnis homo est animal:*
ra *Omnis homo est viuens:* Ergo
pti *Aliquod viuens est animal.*

II.

Fe *Nullus homo est equus:*
la *Omnis homo est animal:* Ergo
pton *Aliquod animal non est equus.*

III.

Dis *Aliquod animal est homo:*
am *Omne animal est viuens.* Ergo
is *Aliquod viuens est homo.*

IV.

Dat *Omnis homo est animal*
is *Aliquis homo est albus:* Ergo
i *Aliquod album est animal.*

V.

Broc *Aliquis homo non est albus:*
ar *Omnis homo est animal:* Ergo
do *Aliquod animal non est album.*

VI.

Fer *Nullus homo est lapis:*
is *Aliquis homo est albus:* Ergo
on *Aliquod album non est lapis.*

8. ¶ Non est igitur verus syllogismus, nisi referatur ad aliquem ex dictis quatuordecim modis. Reliqui omnes modi, qui excogitari possunt, vitiosi sunt, quia

non

non concludunt. Sunt autem vitia syllogismorum hæc, quæ vitari debent. I. Si ambæ propositiones sint particulares, vel indefinitæ, vel altera particularis, altera indefinita. II. Si ambæ propositiones negent. III. Si maior propositio sit particularis in prima vel secunda figura. IV. Si minor neget in prima, vel tertia figura. V. Si vtraque propositio vel conclusio affirmet in secunda figura. VI. Si conclusio sit vniuersalis in tertia figura.

CAP. IX.

De resolutione Syllogismorum.

I. ¶ SCiendum porrò est, syllogismos primæ figuræ euidentiores & præstantiores esse syllogismis secundæ vel tertiæ figuræ. Quare vtile est, hos, qui in secunda vel tertia facti sunt, in primam resolvere, id est, ad primam figuram reducere hæc resolutio potissimum fit conuersione propositionum, & interdum etiam conclusionis; hæc igitur conclusio in primis explicanda est. 105

2. ¶ Conuerti propositio vel conclusio dicitur, cùm id quod docet attribu-

tum,

tum, fit subiectum. Et quod erat subiectum, fit attributum, salua propositionis siue conclusionis qualitate & veritate. Qualitatem propositionis vel conclusionis cum dicimus, affirmationem vel negationem intelligimus. Tunc igitur qualitas propositionis: quæ connectitur, salua manet, cum talis est propositio post conuersionem, qualis erat ante conuersionem, id est, si erat affirmatiua, manet affirmatiua, si erat negatiua, manet negatiua.

3. ¶ Duo sunt modi, quibus propositio, vel conclusio conuerti dicitur: nempe simpliciter, & per accidens. Simpliciter conuerti dicitur, quæ non mutat quantitatem: quia si fuit vniuersalis, manet vniuersalis: si verò est particularis, manet particularis. Per accidens autem conuerti dicitur, quæ, dum conuertitur, fit ex vniuersali particularis.

4. ¶ Vniuersalis affirmans conuertitur per accidens: vt. *Omnis homo est animal, Aliquod animal est homo.* Vniuersalis negans simpliciter conuertitur: vt, *Nullus homo est lapis, Nullus lapis est homo.* Particularis affirmans conuertitur simpliciter: vt. *Aliquis homo est albus, Aliquod album est homo.* Particularis negans non conuertitur.

5. ¶ His expositis accedamus ad re-

solu-

solutionem syllogismorum explicandam, hanc quædam literæ in syllogismorum nominibus declarant. Nam in nominibus syllogismorum secundæ vel tertiæ figuræ præter vocales, de quibus suprà dixi, notandæ sunt quædam consonæ, partim in initio, partim in medio dictionis. Initio nominis litera B, significat reductionem ad, Barbara: C, ad Celarent: D, ad Darii: F, ad Ferio. In medio dictionis spectantur hæ consonæ, S, P, M, C. S, significat simplicem conuersionem. P, conuersionem per accidens. M transpositionem propositionum: ita vt altera fiat ex maiori minor, altera ex minori maior. C, Deductionem ad impossibile. His declaratis, videamus quomodo singuli syllogismi secundæ vel tertiæ figuræ in primam resoluantur.

6. ¶ Cesare resolnitur in Celarent, vt indicat litera C, per conuersionem maioris propositionis, vt ostendit litera S, veluti.

Ces	*Nullus lapis est animal:*	Ce	*Nullum animal est lapis,*
a	*Omnis homo est animal:* Ergo	la	*Omnis homo est animal;* Ergo
re	*Nullus homo est lapis.*	rent	*Nullus homo est lapis.*

7. ¶ Camestres resoluitur in Celarent, vt indicat litera C, transpositis propositionibus, vt indicat litera M, & conuersis tam minore, quã conclusione, vt ostendit repetita lit. S, sicut in sequenti exemplo apparet,

Cam *Omnis homo est animal:* — Ce *Nullum animal est lapis.*
es *Nullus lapis est animal:* Ergo — la *Omnis homo est animal:* Ergo.
tres *Nullus lapis est homo* — rent *Nullus homo est lapis.*

8. ¶ Festino reducitur ad Ferio, vt indicat litera F, per conuersionem maioris propositionis, vt demonstrat litera S, vt in exemplo sequenti:

Fes *Nullum animal est lapis* — Fe *Nullus lapis est animal.*
ti *Aliquod album est lapis:* Ergo — ri *Aliquod album est lapis:* Ergo
no *Aliquod album non est animal.* — o. *Aliquod album non est animal.*

9. ¶ Baroco resoluitur in Barbara vt demonstrat litera B, per deductionem ad impossibile, vt declarat litera C, Sic autem deducitur ad impossibile, si concessis propositionibus Tõ Baroco negetur eiusdem conclusio, sumenda est contradictio conclusionis (quicunque enim propositionem vel conclusionem aliquam negat, eam, quæ illi con-

tra-

tradicit, concedat cogitur) quæ fiet minor propositio in Barbara, maior autem propositio eiusdem Barbara debet accipi ex maiore ipsius Baroco: sic habentur duæ propositiones, ex quibus in Barbara inferetur conclusio absurda, contradicens minori propositioni ℔ Baroco antea concessæ: adeo vt aduersarius negans conclusionem ℔ Baroco ducatur ad hanc absurditatem, vt cogatur fateri conclusionem ℔ Barbara veram esse simul cum minore ℔ Baroco propositione cui contradicit: vt in sequenti exemplo:

Bar	*Omnis homo est animal:*	Bar	*Omnis homo est animal.*
oc	*Aliquod albũ non est animal:* Ergo	ba	*Omne albũ est homo* Ergo
o.	*Aliquod album non est homo.*	ra	*Omne album est animal.*

10. ¶ Darapti reducitur ad Darii, vt ostendit litera D, minore propositione conuersa per accidens, vt indicat litera P, vt in sequenti exemplo:

Dar	*Omnis homo est rationalis:*	Da	*Omnis homo est rationalis:*
ap	*Omnis homo est animal:* Ergo	ri	*Aliquod animal est homo* Ergo
ti	*Aliquod animal est rationale.*	i	*Aliquod animal est rationale.*

11 ¶ Felapton resoluitur in Ferio, vt indicat litera F, minore propositione conuersa per accidens, vt ostendit litera P, vt in subiecto exemplo.

Fel	*Nullus homo est brutum.*	Fe	*Nullus homo est brutum*
ap	*Omnis homo est animal:* Ergo	ti	*Aliquod animal est homo:* Ergo
ton	*Aliquod animal non est brutum.*	o	*Aliquod animal non est brutum.*

12. ¶ Disamis resoluitur in Darii, vt indicat litera D, minore propositione & conclusione simpliciter conuersa, vt ostendit repetita litera S, & propositionibus locum mutantibus, vt indicat litera M, vt in exemplo sequenti.

Dis	*Aliquis homo est albus:*	Da	*Omnis homo est animal*
am	*Omnis homo est animal:* Ergo	ri	*Aliquod albū est homo.* Ergo
is	*Aliquod animal est album.*	i	*Aliquod album est animal.*

13. ¶ Datisi reducitur ad Darii, vt indicat litera D, per simplicem minoris conuersionem, vt ostendit litera S, vt in sequenti exemplo:

Dat	*Omnis homo est animal,*	Da	*Omnis homo est animal,*

is	*Aliquis homo est albus*, Ergo	ri	*Aliquod album est homo.* Ergo
i	*Aliquod album est animal*	i	*Aliquod album est animal.*

14. ¶ Brocardo reducitur ad Barbara, vt indicat littera B, per deductionem ad impossibile, vt ostendit litera C, quia si quis concessis propositionibus ℞ Brocardo, neget eius conclusionem, cogitur admittere propositionem ei conclusioni contradicentem. Hæc propositio fit maior in Barbara: eique adiungitur minor propositio ℞ Brocardo: vnde in Barbara colligitur conclusio contradicens maiori propositioni ℞ Brocardo antea concessæ. Atque hac ratione aduersarius cogitur dicere maiorem ℞ Brocardo, & conclusionem ℞ Barbara quæ sunt contradicentes, esse simul veras: quod est absurdum: vt in sequenti exemplo.

Broc	*Aliquis homo non est albus,*	Bar	*Omne animal est album.*
ar	*Omnis homo est animal.* Ergo	ba	*Omnis homo est animal* Ergo
do	*Aliquod animal non est album.*	ra	*Omnis homo est album.*

15. ¶ Ferison resoluitur in Ferio, vt ostendit litera F, per simplicem minoris conuersionem, vt ostendit litera S, vt in subiecto exemplo.

Fer *Nullus homo est lapis:* —— Fe *Nullus homo est lapis:*
if *Aliquis homo est albus.* Ergo —— ri *Aliquod album est homo* Ergo
on *Aliquod album non est lapis* —— o. *Aliquod album non est lapis.*

CAP. X.

De syllogismis hypotheticis.

108

I. ¶ SYllogismus hypotheticus est, qui in se hypothesin habet: id est, vel conditionem *Si*, vel disiunctionem *Aut*: proinde vel est coniunctiuus, vel disiunctiuus.

2. ¶ Coniunctiuorum tres sunt modi. Primus modus est in quo ambæ propositiones vna cum conclusione sunt conditionales: veluti,

Si est animal, est viuens:
Si est homo est animal, Ergo
Si est homo, est viuens.

Secun-

3. ¶ Secundus modus est à positione antecedentis ad positionem consequentis: veluti,

Si est animal, est viuens:
Atqui est animal. Ergo
Est viuens.

4. ¶ Tertius modus est ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis: veluti.

Si est animal est viuens:
Atqui non est viuens, Ergo
Non est animal.

5. ¶ Disiunctiuorum duo sunt modi. Primus est a positione vnius ad euersionem alterius: veluti,

Aut est dies aut nox:
Atqui est dies: Ergo
Non est nox.

Vel à positione vnius ad euersionem aliorum: veluti.

Aut est liberalis, aut prodigus, aut auarus:
Atqui est liberalis Ergo
Non est prodigus, neque auarus.

6. ¶ Secundus modus est ab euersione vnius ad positionem alterius: veluti,

Aut est dies aut nox:
Atqui non est dies: Ergo
Est nox.

Vel ab euersione aliquorum ad positionem reliqui: veluti.

Aut est liberalis, aut prodigus, aut auarus,
At qui nec est liberalis nec prodigus: Ergo
Est auarus.

Vel ab euersione quorundam ad positionem aliorum: veluti.

Aut vnum est principium rerum naturalium, aut duo, aut tria, aut plura:
Sed neque sunt vnum, neque plura tribus. Ergo
Sunt duo vel tria.

CAP. XI.

De Enthymemate.

I. ¶ SI vna syllogismi propositio profertur, altera reticetur: vulgò dicitur Enthymema: veluti,

Homo est rationalis: Ergo
Est aptus ad videndum.

Aristoteles autem Enthymema vocat syllogismum ex propositionibus verisimilibus, aut signis: propositiones verisimiles sunt: veluti, *Mater amat liberos. Quo inuidient oderunt.*

Signa sunt, quæ aliquid arguunt, vt fumus ignem, lac concubitum.

CAP. XII.

De Prosyllogismo.

PRosyllogismus (quasi latinè dicas antecedentem syllogismum) est syllogismus probans propositionem alterius syllogismi, qui vocatur syllogismus principalis. Exempli causa sit syllogismus principalis.

Bar *Omne viuens est substantia:*
ba *Omnis homo est viuens.* Ergo
ra. *Omnis homo est substantia.*

Huius syllogismi maior propositio probatur sequenti prosyllogismo.

Bar *Omne corpus est substantia:*
ba *Omne viuens est corpus:* Ergo
ra *Omne viuens est substantia.*

Minor autem propositio eiusdem syllogismi principalis, probatur sequenti prosyllogismo:

Bar *Omne animal est viuens:*
ba *Omnis homo est animal.* Ergo
ra *Omnis homo est viuens.*

CAP. XIII.

De Sorite.

118. SOrites, quasi dicas Latinè acernationem, est syllogismus compositus in prima figura ex syllogismo principali, & prosyllogismo, vel prosyllogismis: vt in sequenti exemplo:

Omne corpus est substantia,
Omne viuens est corpus:
Omne animal est viuens:
Omnis homo est animal. Ergo
Omnis homo est substantia.

CAP. XIV.

De Inductione.

114. I. INductio est argumentatio, quæ ex particularibus colligit vniuersale: veluti,

Homo, bos, equus, asinus:
mulus viuunt: Ergo
Omne animal viuit.

2. ¶ Est autem vel perfecta, vel imperfecta. Perfecta, quæ sumitur ab omnibus particularibus sub eo vniuersali, quod arguitur contentis. Imperfecta est, in qua omittuntur aliquæ particulares.

CAP. XV.

De Exemplo.

EXemplum vocamus argumentationem ab aliquo particulari ad aliud particulare simile: veluti, 116.

Discordia Sylla & Marij fuit pernicio sa Reipublicæ: Ergo
Etiam discordia Cæsaris, & Pompeij fuit Reipub. pernicio sa.

CAP. XVI.

De Cataſyllogiſmo & Elencho.

1. CAtaſyllogiſmus est syllogiſmus, quo contra aliquem id probatur, quod ille concedere nollet. Veluti si quis aduersus aliquem Peripateticum probet mũdum non esse æternum, quia Peripatetici existimant mundum esse æternum.

2. ¶ Elenchus est species Catasyllogismi. Tunc enim dicitur elenchus, cum contra aliquem id refutatur, quod ille in eadem disputatione asserit, vel probatur quod ille negauit, veluti si quis proposuerit hanc thesin, *Mundus est aternus*, & alius contra hanc thesin argumentetur, ac probet mundum non esse æternum, hæc probatio vocabitur elenchus.

CAP. XVII.

De Dilemmate.

120

I. DIlemma est syllogismus constans ex duobus catasyllogismis περὶ τῶν διπρημένων, id est de iis, quæ in eadem diuisione ponuntur. Quiduis enim siue vtrumuis aduersarius ponat, coarguitur. Veluti si quis ponat sapienti vxorem esse ducendam, eique opponatur vulgatum illud: *Si deformem ducet, habebit pœnam, si formosam habebit communem.* Nam formosa & deformis in eadem diuisione ponuntur.

2. ¶ Tria sunt dilemmatum genera. Primum genus est, cùm vtrumque membrum impugnatur, vt aduersarius implicetur, & ignorantiam suam fateri cogatur, veluti, *Si animus est corporeus, quomodo percipit incorporea? Si incorporeus, cur senio contabescit?*

3. ¶ Secundum genus est cùm neutrum membrum tollitur, sed ex vtrouis concesso arguimus, vt hac ratione, aut alios accusemus, veluti,

Iniuria alis te afficior indigna, pater.
Nam si improbum Chresphontē existimaueras,
Cur me huic locabas nuptiis? sin est probus,
Cur talem inuitam inuitum cogis linquere.

Aut nosmetipsos excusemus veluti,

Nulla te indigna, nata, afficio iniuria,
Si probus est, bene locaui, sin autem improbum,
Diuortio liberabo incommodo.

4. ¶ Tertium genus est, cùm alterum membrum tollitur, alterum minimè, veluti. *Si male locutus sum, testare de malo, sin bene, cur me cadis?* Ioh. 18. Huc referenda est Christi interrogatio illa. *Baptismus Iohannis e cœlo erat, an ex hominibus?* Ratiocinatio autem non perficitur à Christo, sed à Iudæis, *& illi ratiocinati sunt apud se dicentes, si dixerimus, e cœlo dicet, Quare ergo non credidistis ei? Sin autem dixerimus ex hominibus, omnes nos lapidabit.*

persuasum enim est ei Iohannem Prophetam esse. responderunt igitur se nescire vnde esset.

CAP. XIIX.

De Demonstratione.

125

1. Demonstratio est syllogismus scientiam patiens ex propositionibus necessarijs.

2. ¶ Necessariæ propositiones dicuntur vel ratione formæ, vel ratione materiæ. Ratione formæ dicitur necessaria, quæ habet in se modum *Necesse*: vt, *Necesse est cygnum esse album*. Ratione materiæ, necessaria propositio appellatur, cùm inter eius terminos subiectum & attributum, est nexus necessarius: vt *Omnis homo est rationalis*, hoc posteriori modo, necessarias propositiones intellige in data demonstrationis definitione.

3. ¶ Vt autem propositio ita necessaria sit, debet esse de omni, per se, & vniuersaliter prima.

4. ¶ Propositio est de omni, cùm attributum subiecto inest omni & semper: vt *Omnis homo est animal*.

5. ¶ Per se dicitur cùm vel attributum pertinet ad definitionem subiecti, vel sub-

iectum ad definitionem attributi. Primo modo hæc propositio est per se, *Homo est animal*: quoniam homo definitur animal mortale, rationale. Secundo modo hæc propositio est per se: *Nasus est simus*: quia simitas definitur curuitas nasi.

6, ¶ Vniuersaliter prima propositio vocatur, cùm attributum subiecto inest quatenus subiectum est illud ipsum quod est: putà inest homini, quatenus est homo. Hæc igitur propositio est vniuersaliter prima, *Homo est rationalis*: quia homo, quatenus homo, est rationalis.

7. ¶ Demonstratio est triplex: aut enim sumitur à causa proxima, quæ quidem sola est vera & perfecta demonstratio: aut à causa remota: aut ab effectu. Sed hæc duo posteriora genera deficiunt à gradu veræ ac perfectæ demonstrationis. Primi generis demonstratio est, veluti,

Bar *Omne rationale est disciplinæ capax:*
ba *Omnis homo est rationalis.* Ergo
ra *Omnis homo est disciplinæ capax.*

Nam rationale est causa, cur homo sit disciplinæ capax. Secundi generis demonstrationes sunt negatiuæ: veluti,

Ce *Nihil sensus expers, est disciplinæ capax:*
la *Omnis planta est sensus expers,* Ergo
rent *Nulla planta est disciplinæ capax.*

Sicut

Sicut enim rationale est causa proxima, propter quam homo est disciplinæ capax: ita ratione carere, est causa proxima, cur aliquid non sit disciplinæ capax: sensus verò expers, est causa remota.

8. ¶ Si quis quærat, vnde dignoscatur causa proxima à remota: respondebo causam proximam cum effectu reciprocari, veluti, *Omne disciplinæ capax est rationale, & Omne rationale est disciplinæ capax:* causam remotam non reciprocari, vt omne disciplinæ capax est sensitiuum, sed non omne sensitiuum est disciplinæ capax: quandoquidem equus, vel bos est sensitiuus, nec tamen disciplinæ capax. Ergo huius capacitatis causa proxima est ratio, causa remota est sensus.

9. ¶ Causarum genera quatuor sunt, materia, forma, finis, & efficiens. Materia est, ex qua res fit, vel est: vt Aës est causa statuæ. Forma est per quam res est id quod est, vt Anima rationalis est causa hominis. Finis est cuius gratia res est: vt sanitas est causa deambulationis. Efficiens est, à quo res est, vt deambulatio est causa sanitatis.

10. ¶ Definitionum tria sunt genera. Vna est definitio ὀνοματώδης, nominalis, explicans quid nomen significet: veluti, triangulum est figura constans

tribus

tribus angulis. Altera est, quam Galenus vocat ὑπογραφικὴν, vulgò Græci περιγραφὴν, Latini descriptionem, quæ ab accidentibus sumitur, quomodo dicitur Plato hominem definiuisse animal bipes, implume, latis vnguibus constans. Tertia est οὐσιώδης, essentialis, quæ rei essentiam declarat, vt *Homo est animal rationale mortale.* Hæc aut est principium demonstrationis, aut est conclusio demonstrationis, aut à demonstratione differt tantùm terminorum positione, quia scilicet ex iisdem terminis constat aliter collocatis, quàm in demonstratione ponantur. Verbi gratia, cùm eclipsis de Luna demonstretur, id est, in Luna inesse probetur per interpositionem terræ, quæ est causa ipsius eclipsis: Tunc enim Luna deficit, cùm terra inter ipsam Lunam & Solem interiecta obstat, quominùs Luna à Sole illustretur: hæc definitio, defectus luminis in Luna, est conclusio demonstrationis: hæc autem, interpositio terræ inter Solem & Lunam, est principium demonstrationis: denique hæc ex illis composita & perfecta definitio, defectus luminis in Luna ob terræ interpositionem, sola terminorum collocatione differt à demonstratione: quandoquidem demonstratio ita extruitur:

Id cui & Soli terra interponitur, deficit:

Inte-

Inter Lunam & Solem terra interponitur,
Ergo Luna deficit.

CAP. XIX.

De Syllogismo dialectico.

1. SYllogismus dialecticus est, qui dialecticam quæstionem ex propositionibus concludit.

2. ¶ Quæstiones dialecticæ septem sunt. Prima, an alterum alteri attribuatur: Veluti an Aethiops sit niger? Secunda, an alterum alteri accidat: Veluti an contingat virum iustum mutari? Tertia, vtrum vel quodnam sit magis tale: verbi gratia, vtrum honores an diuitiæ sint optabiliores? & sintne hostes deuicti interficiendi, an sub iugum mittendi, an honestè dimittendi? Quarta, an hoc sit illius genus, vel quod idem valet, an illud sit huius species: Veluti, an scientia sit species artis? Quinta an alterum sit alterius proprium, puta an animal scientiæ capax, sit proprium hominis? Sexta, an definitio rectè tradita sit: veluti, an animal rationale mortale, sit definitio hominis? Septima, vtrum sit idem an diuersum: veluti, vtrum beatitudo, & secunda fortuna idem

sint? Hæ verò non sunt quæstiones dialecticæ, quid attribuitur homini? quid accidit homini? quid est maximè optabile? quid est genus hominis? quid est proprium hominis? quid interest inter fortem & audacem.

3. ¶ Probabilis propositio est, quæ aut omnibus hominibus vera esse videtur, vt parentes à liberis esse honorandos: aut plerisque hominibus, vt ne nini ius suum esse auferendum: aut omnibus sapientibus, vt ex nihilo nihil fieri: aut plerisque sapientibus: vt rem diuiduam non constare ex partibus indiuiduis: aut quibusdam celeberrimis viris, putà Aristoteli & Aristotelicis, vt Logicam esse Philosophiæ instrumentum.

4. ¶ Loci, ex quibus sumuntur propositiones dialecticæ, sunt tredecim. Primus locus est definitio & definitum. Definitio est oratio explicans quid res sit. Definitum est, quod definitione explicatur, vt in hac oratione: *Homo est animal rationale mortale*, *homo* est definitum: *Animal rationale mortale*, est definitio. 159

6. ¶ Secundus locus est notatio, (quam Græci etymologiam vocant) & notatum. Notatio est, quæ vocabuli vim ab

origi-

origine sumptam declarat. Notatum est, quod ita declaratur: veluti, *Vesta dicitur quia vi sua stat.*

7. ¶ Tertius locus est coniugatum. Coniugata sunt vocabula, quorum vnum ab altero vel vtraque siue omnis ab eodem vocabulo deriuantur, vt humus homo, humanum humanitas. Nam ab humo reliqua deriuantur. huc refertur quod est apud Terentium.

Homo sum, humani a me nihil alienum puto.

8. ¶ Quartus locus est causa & effectus. Causa est, quæ rem producit. Effectus est, qui à causa productus. Causarum genera sunt quatuor, vt superiori cap. exposui.

9. ¶ Quintus locus est subiectum, vel adiunctum. Subiectum est, cui aliquid accidit. Adiunctum est quod alicui subiecto inest præter eius essentiam: vt in hac oratione. *Homo est albus, homo* est subiectum. *Albus* est adiunctum.

10. ¶ Sextus locus est genus, vel species, vel differentia, vel individuum. Genus est quod attribuitur multis speciebus in quæstione, quid est, vt animal homini, equo, boui. In quæstione quid est attribui dicuntur, quæ aptè respondentur ad quæstionem quid est, veluti, *Quid est homo? est a-*

nimal.

nimal. Species est cui genus attribuitur in quæstione quid est, vt homo, equus, bos, sunt species animalis. Indiuiduum est, cui species attribuitur in quæstione quid est, vt Socrates, Plato, Aristoteles sunt indiuidua quibus homo attribuitur in quæstione quid est. Differentia est, quæ diuidit genus, & constituit speciem, vt Rationale & Irrationale diuidunt animal: quorum illud animali adiunctum constituit hominem: hoc animali adiunctum constituit bestiam.

II. ¶ Septimus locus est totum vel pars. Totum est, quod ex multis partibus constat: Partes sunt quæ totum constituunt, vt homo est totum quiddam: cuius partes sunt caput, venter, brachia, crura.

I2. ¶ Octauus locus est oppositum. Oppositorum genera sunt quatuor, Contraria, Contradicentia, Relata, Priuantia. Contraria sunt, quæ inter se plurimum distant: vt album & nigrum. Contradicentia sunt affirmatio & negatio eiusdem attributi de eodem subiecto: vt, *Omnis homo est iustus, Non omnis homo est iustus.* Relata sunt, quæ in mutua relatione consistunt: vt dominus & seruus: Pater & filius. Priuantia vocantur, quæ inter se opponuntur vt habitus, & priuatio vt videns & cæcus, lux & tenebræ.

I3. ¶ Nonus locus est comparatio:

quæ

quæ sumitur ab eo, quod magis vel minus, vel æque est: veluti, *Magis honorandus est senex, quam iuuenis: Minus honorandus est iuuenis quam senex,*

Æque Reipub. prosint vir iustus & vir prudens,

14. ¶ Decimus locus est auctoritas, vt quia credendum est vnicuique in sua arte perito.

CAP. XX.

De Paralogismo.

1&. I. PAralogismus est vitiosus syllogismus.

2. ¶ Vitia syllogismorum vel consistunt in forma, vel in materia.

3. ¶ Vitia in forma sunt, quæ exposui suprà Cap. 8 id est, cùm non obseruantur regulæ syllogismorum: vt si arguatur ex duabus propositionibus particularibus: veluti,

Aliquis homo est sapiens:
Aliquis homo est Grammaticus. Ergo
Aliquis grammaticus est sapiens.

4. ¶ Vitium est in materia, cùm aut ambæ propositiones sunt falsæ, vt,

Bar-

Bar *Omnis homo eſt lapis:*
ba *Omnis arbor eſt animal.* Ergo
ra *Omnis arbor eſt lapis.*
Aut vna propoſitio eſt falſa, putà maior, vt in hoc ſyllogiſmo:
Cam *Omne animal eſt lapis:*
el *Nullus cygnus eſt lapis.* Ergo
tres *Nullus cygnus eſt animal.*
Vel minor, vt in ſequenti ſyllogiſmo:
Ce *Nullus lapis eſt animal:*
la *Omnis homo eſt lapis.* Ergo
rent *Nullus homo eſt lapis.*

5. ¶ Cùm autem propoſitiones ſint falſæ: concluſio modò eſt falſa, vt in ſupradictis exemplis, modò vera, vt in ſequenti exemplo.
Bar *Omnis lapis eſt animal:*
ba *Omnis homo eſt lapis:* Ergo
ra *Omnis homo eſt animal.*

CAP. XXI.

De Sophiſmate.

1. SOphiſma eſt paralogiſmus captioſus. 187
quo Sophiſta vult videri reprehendere, aut ad falſum vel inopinabile

dicen-

dicendum cogere, aut efficeret, vt soloecismus vel tautologia committatur.

2. ¶ Quid sit Elenchus, suprà docui. Captionum autem seu fallaciarum genera, quibus videri potest Elencho redargui, sunt tredecim. Nam sex in dictione consistunt, homonymia, amphibolia, compositio, diuisio, accentus, figura dictionis. Extra dictionem septem, accidens, secundum quid, ignorantia elenchi. consequens, petitio quæsiti, non causa, multiplicitas interrogationis.

3. ¶ Homonymia est vocabuli ambiguitas. vt canis significat animal quoddam quadrupes, & piscem, & sydus, quare homonymiæ fallacia est in hoc syllogismo,

Omnis canis latrat:
Aliquis piscis est canis Ergo
Aliquis piscis latrat.

4. ¶ Amphibolia est orationis ambiguitas. veluti: *Hæres meus vxori meæ decem vasa argentea dato, quæ volet.* Dubium est enim, an verbum *volet* ad vxorem sit referendum, an ad hæredem. id est, vtrum hæres dare debeat decem vasa quæ ipse dare velit, an quæ mulier accipere malit.

Com-

5. ¶ Compositionis fallacia est, cùm ea iunguntur, quæ seperari debent: veluti,

Quo vidisti Petrum percussum, eo percussus est.
Atqui vidisti oculis percussum: Ergo
Oculis percussus est.

Hic fallacia est compositionis: quia verbum *oculis*, coniungitur cum verbo *percussus*, à quo debet separari. Non enim fuit oculis percussus, sed oculis visus est.

6. ¶ Fallacia diuisionis est, cùm ea diuiduntur, quæ coniungi debent, veluti,

Duo sunt paris, tria sunt imparis:
Atqui quinque sunt duo & tria: Ergo
Quinque sunt paris & imparis.

7. ¶ Fallacia ex accentu est, cùm variatio accentus mutat significationem vocabuli.

Omne malum est cauendum:
Omne pomum est malum, Ergo
Omne pomum est cauendum.

Nam malum aliter accipitur in maiore, aliter in minore propositione: nec tamen est homonymia: quia vocabulum homonymum est omnino vnum: sed malum prima syllaba longa, & malum prima syllaba breui, non est omnino vnum & idem vocabulum.

8. ¶ In figura dictionis fallacia consistit, cùm eadem vox modò accipitur pro vno, modò pro alio entis genere. veluti.

Animal constat tribus syllabis:
Homo est animal Ergo
Homo constat tribus syllabis.

Nam *Animal*, in maiore propositione accipitur pro dictione seu nomine. in minore pro re significata.

9. ¶ Ex accidenti fallacia est, cùm ex eo, quod duo eidem subiecto accidunt concluditur alterum alteri accidere: veluti.

Socrates est bonus:
Socrates est sutor. Ergo
Socrates est bonus sutor.

10. ¶ Quod est secundum quid seu quadamtenus tale, tunc fallit, cum su-

mitur,

mitur, quasi verum simpliciter, veluti,

Socrates est homo mortuus: Ergo
Socrates est homo.

11 ¶ Ignorantia elenchi dicitur, cùm pro contradictione sumitur, quæ non est contradictio: veluti,

Socrates est bonus Philosophus.
Socrates non est bonus pastor, Ergo
Socrates est bonus & non bonus.

Cùm enim bonus & non bonus dicatur, diversis respectibus, non est vera contradictio in dicta conclusione, *Socrates est bonus & non bonus.*

12. ¶ Ex consequenti captio appellatur, cùm quia contra regulas syllogismorum hypotheticorum arguit à positione consequentis ad positionem antecedentis: veluti.

Si est homo est animal:
Atqui est animal: Ergo
Est homo.

Vel ab euersione antecedentis ad euersionem consequentis: veluti,

Si est homo, est animal.

Atqui non est homo, Ergo
Non est animal.

13. ¶ Petere quæsitum, est sumere in propositionibus, quod est concludendum, hoc vitium aut est manifestum: veluti.

Voluptas est expetenda, Ergo
Voluptas est expetenda.

Aut latet, veluti,

Lumen propinquum non scintillat:
Planetæ sunt lumina propinqua, Ergo
Planetæ non scintillant.

Nam propositio minor est ignota, nec potest probari nisi per eam conclusionem, ad quam probandam adhibita est: sic enim probatur:

Lumen non scintillans, est propinquum.
Planetæ sunt lumina non scintillantia. Ergo
Planetæ sunt lumina propinqua.

14. ¶ Fallacia non causæ est, cùm ad impugnandam aliquam propositionem, ex ea infertur aliquid impossibile, quod reuera ex ea non colligit: Veluti si aduersus asserentem corpus naturale moueri, Sophista sic argumentetur ducens ad impossibile,

Quic-

Quicquid mouetur, est infinitum: Ergo
Si corpus Physicum mouetur, est infinitum.
Quod est impossibile.

Nam causa huius conclusionis absurdæ & impossibilis, non est hypothesis, ex qua Sophista minorem propositionem constituit: sed maior, quam ipse Sophista adiecit.

15. ¶ Multiplicitas interrogationis fallit, cùm ad multas interrogationes respondetur quasi ad vnam: veluti.

Nonne Socrates & Plato est homo? vtique- Ergo
Qui Socratem & Platonem percussit hominem percussit non homines.

Hactenus dictum est de Elenchis sophisticis.

16. ¶ Falsum vel præter opinionem est, veluti nihil moueri. huc referenda sunt dilemmata captiosa, cùm plura interrogantur, sed quoduis eorum concedamus, in absurditatem incidimus aut incidere videmur: veluti,

Estne sapientibus obtemperandum, an parentibus.

17. ¶ Tautologia est seu nugatio, cum idem in eadem oratione frustrà repetitur: veluti,

Nonne Socrates eſt homo albus?
Ita.
Nonne eſt albus?
Vtique. Ergo
Eſt homo albus albus.

18. ¶ Soloeciſmus eſt locutio Barbara: veluti,
Tu quaris Petrum:
Ego ſum, quem quaris.
Ergo
Ego ſum Petrum.

19. ¶ Omnia Sophiſmata ſoluuntur oſtenſo fallaciæ genere. Veluti ſi reſpondens dicat: Reſpondeo eſſe fallaciam non cauſæ, Reſpondeo eſſe fallaciam conſequentis, &c.

FINIS.

IN.

INDEX
Capitum.

Cap.		pag.
I.	De Logica.	2
II.	De Dictione, & Syncategoremate.	2
III.	De Enunciatione.	4
IV.	De Enunciatione pura.	4
V.	De Enunciatione hypothetica.	7
VI.	De Enunciatione modificata.	7
VII.	De Syllogismo.	9

De

IIX.	De Syllogismo categorico.	9
IX.	De Resolutione syllogismorum.	12
X.	De Syllogismis hypotheticis.	15
XI.	De Enthymemate.	16
XII.	De Prosyllogismo.	17
XIII.	De Sorite.	17
XIV.	De Inductione.	17
XV.	De Exemplo.	18
XVI.	De Cataſyllogismo, & Elencho.	18
XVII.	De Dilemmate.	18
XIIX.	De Demonſtratione.	19

XIX. De Syllogismo dialectico. 21
XX. De Paralogismo. 23
XXI. De Sophismate. 24